

Pierij Val. Testudo.

PIERIVS VALERIANVS AD AMPLISS. PA- D

TREM LIVIVM PODOCATHARVM CYPRI ARCHIEPISCO-
pum, de iis quæ Per testudinem, cochleam, Cancrum &
id genus testacea significantur, ex sacris

Ægyptiorum literis.



Roximis hisce diebus, Amplissime pater, cum mihi agalmatū tuorū supellectilem aperires, antiquissimiq; operis, ex ære, auro, argēto ducta, & marmore calata signa, numismataq; plurima veterū illa ingeniorū atq; artū monumenta minime cōtemneda delectabili spectaculo mihi proposuisses, habere te opera hæc in delicijs ea plurimum de causa dicebas, quod à summa claritatis viro Ludouico Podocatharo Cardinali. Capitaquæsi patruo tuo comparata cōgestaq; fuissent. Quem virū generosis natalibus insignē, Medicina celebrem, Philosophia clarū, & ita integritate laudatissimū, virtutes ipse in omni vita colore eximia, ad amplitudinē ea extulerit. Proinde quid tuis esset apud te quod illius memoriā renouaret, siue vestis, siue vras, siue libri, siue quæ tam multa extat doctrina eius cōmentaria, tanquā sacra omnia à te custodiri, & in honore etiā haberi; dignū quidem eius hominis institutu, qui optima quæq; sibi ad imitandum proposuerit. Quæ quidem cum tibi acciderent iucundissima, eo quoq; non parū delectari videbaris, quod ego multa in veterū monumentis illis & mystica & in doctrina alicuius recessu delitescētia inter spectādū explicabā, inter prebataq; cuiusmodi illud fuisse memini, quid sibi vellet Testudo Veneris subiecta pedis: quid altera ex ære cuprōve Damasceni operis in vsu, ut coniectura erat, bullæ facta cauda quippe replicata, qua lorum aut licium transmitti posset, atq; ita gestari: quid in numis aliquot Testudo alia. Quæ tibi cum exposuissem, postulasti ea tibi scripto credita exhiberi, quod quidem libentissime feci, cum id semper studuerim, ut quacunq; posse ratione meum erga te animū aperire, id sedulo facerem, quod incomparabilis probitas tuāq; benignissimāque comitas & egregia quædā mentis tuæ sinceritas exigere videbantur. Accedebant & beneficia in me promptissima vultus alacritate collata, & quod literatos omnes quacunq; posses occasione demereri, semper appetiisti. Sed quoniam parū me tibi præstitisse videbar, si Testudinis tantū significata conscripsissem, addidi ad eam quædā alia ex eodem testaceorum genere, quæ no minoris mihi visa sunt eruditionis, quam quæ Testudine super efferebantur. Multa enim hieroglyphica Aegyptij sacerdotes ex Cancro F Locusta: Pinnis & huiusmodi alijs desumpserunt: quæ omnia quantum memoria succurrerunt, uno commentario enarrata conscriptaque tibi dedici. Tu quotiens ea in agalmatibus illis tuis vel cusa vel sculpta incisaque videris, aut mensis illata cōspexeris, Pierij tui memineris velim, qui te summo cultu, summaque semper est obseruantia persecutus.

DE TESTVDINE.



*H*ESTVDO igitur inter crustacea primum occupabit locum, quoniā ipsa narrationis istius argumentum præbuit, & pictura eius in hoc symbolorum genere est admodum speciosa.

IN POTENTIORIS DITIONEM REDACTVS.

*H*ominem in potentioris cuiusquam potestatem adedō redactum, vt nullam iam speret effugium, ostendere qui volunt, Testudinem solari percussam radio, ac supernatantem in aquæ summo pingunt ipsa enim vehementioribus Solis radijs impetita ita exsiccat, vt in gurgitē deferri nequeat, idq; præcipuè mari Indico, vbi & multæ & magnæ sunt, & Solis vis acrior: vnde fit vt vel facilè limè capiatur, vel cum in prædam mergi non possit, inedia extingatur.